

aibus, & signis, & bandis, & laudibus introduxerunt eum honorificè infra hanc civitatem. Ravenne, & osculaverunt pedes ejus, & ornaverunt plateas civitatis, decorantes diversis ornatibus. Omnesque coronantur ædes, fiebat militantibus lætitia, privatis alacritas, & pusilli, & magni ovantes, & mediocres lætificantes. Et federe rogaverunt eum in Sede Ecclesiæ, & Missas audierunt ab eo, & agebant illum diem solemnitatis cum gaudio magno, & lætitiâ sempiterna.

## CAPUT SECUNDUM.

*Ecclesia S. Stephani ædificatur. Monasteria, sive Ædiculæ ad Basilicæ latera. Materiam novis unius spatii prodigiôsè paratâ.*

POST hæc autem fuit cum ovibus, quasi pater cum filiis. Ædificavitque Ecclesiâ Beati Stephani hic Ravenne Levitæ, & Martyris (1) non longè à Posterula Ovilionis, à fundamentis, mira magnitudine decoravit, pulcherrimèque ornavit, & in Cameris Tribunæ suæ effigies tessellis variis infixæ est, & in giro mirificè opere vitreo constructa est, multasque reliquias ibidem condidit de Sanctorum Corporibus, quorum nomina ita exarata invenietis. In honorem Sancti, ac Beatissimi primi Martyris Stephani, Servus Christi Maximianus Episcopus hanc Basilicam ipso adjuvante à fundamentis construxit, & dedicavit die tertio Idus Decembris Ind. XIV. novies P. C. Basilii Junioris. Et gavissus est in Domino, qui ei tanta præstitit bona, quanta nullus hominum dignè enarrare valeat. Collocavit autem hic merita Apostolorum, & Martyrum, idest S. Petri, S. Pauli, S. Andrea, S. Zachariæ, S. Johannis Baptistæ, S. Johannis Evangelistæ, S. Jacobi, S. Thomæ, S. Matthæi, S. Stephani, S. Vincentii, S. Laurentii, S. Quirini, S. Floriani, S. Æmiliani, S. Apollinaris, S. Agathæ, S. Euphimiæ, S. Agnetis, S. Eugeniæ, qui orant pro nobis, & in supercilio arcus Tribunæ invenietis versus metricos, continentes ita:

*Templa micant Stephani meritis, & nomine sacra,*

*Qui primus (2) eximium Martyris egit opus. Omnibus una datur sacro pro sanguine palma, Plus tamen hic fruitur, tempore quo prior est. Ipse fidem, votumque tuum nunc magne Sacerdos*

*Maximiane juvenans, hoc opus explicuit. Nam talem subito fundatis molibus Aulam. Sola manus hominum non poterat facere. Undecimum fulgens renovat dum Luna recursum, Et cæpta, & pulcro condita sine nitet.*

Ad latera verò ipsius Basilicæ Monasteria parva subjunxit, quæ omnia novis tessellis auratis, simulque promissis aliis calci infixis mirabiliter apparent, super capitaque omnium columnarum ipsius Maximiani nomen sculptum

(1) Monasterium S. Stephani, quia hic Ravenne in Civitate non est nisi unum Monasterium S. Stephani, in quo stant Moniales, & per ea, quæ videri possunt non apparet de tanta ædificatorum, & verum pretiosam struaturâ, quod Monasterium est prope Ecclesiâ S. Andrea Cotbortæ, quæ vulgariter dicitur Ecclesiâ Garbica, credo, quod istud Monasterium, de quo hic in ista Historia fit mentio fuit prope Ecclesiâ S. Barbati, quæ est non longè à Monasterio, & Ecclesiâ S. Zaccariæ, prout vidi, & videri potest in quodam instrumento publico manu Morandi Notarii, quod est in ejus protocolis in

est. Monasterio verò parte virorum sex literas lithostratas invenietis; ignorantes ad errorem perducuntur, nam scientes ibidem esse scripta MU. SI VA esse intelligunt. Afferunt nonnulli, quod quadam die accersitum Archierogatum, (3) ac (4) Principem Operis Pontifex interrogavit, & cur ædificium prædictæ Ecclesiæ non perficeret. At ille respondit dicens; eo quod tu Domine noster navigasses in partibus Constantinopolim cæmentum, & latercula defecerunt, neque tantos habemus lapides, ut laborare potuissemus. Tunc jussu Pontificis nocte una tanta allata sunt omnia paramenta, calces, & latercula, petras, & bifalos, lapides, & ligna, columnas, & lastras, arenam, & fabulos in una nocte, ut dixi, præparaverunt vectores, quanta vix in undecim lucinis (5) laborare poterant.

## CAPUT TERTIUM.

*Sylva in Histria Ecclesiæ Ravennati asserta Tricoli ad coronis imponitur.*

DUMQUE in temporibus istius Sanctissimi Pontificis orta esset contentio de sylva, quæ cognominatur Vistrum sita Istricatis partibus, bis in Constantinopolim se detulit, ut talem Justiniani Augusti præsentia confumeret contentionem. Ambo canitie in eodem tempore exornati, quantum recolerent se à juventute disjuncti (6) amantissime pariterque coeperunt lugere. Dehinc verò pius Imperator Justinianus Augustus præceptum sibi ex eadem Sylva condidit perpetuè, legaliterque in Sancta Ravennati Ecclesiâ esse, quam justè, ac rationabiliter sibi pertinere cognoverat. Iste Tricoli (7) suis temporibus omnia ædificia complevit, & ubi ipse cum suis Antecessoribus depictus est, si legere cultus aspicientes, ita scriptum invenietis:

*Hic Petrus Junior Christi præcepta (8) secutus*

*Ut docuit (9) sacris moribus exhibuit. Hanc (10) quoque fundavit mirandis molibus arcem,*

*Nominis ipse sui hæc monumenta dedit. Hujus post obitum Aurelianus gessit honores, Post hunc Antistes exiit Ecclesius.*

*Hinc fuit Ursicinus, sequitur post ordine Victor, Temporibus junior Maximianus adest.*

*Is Polensis erat Christi Levita profundus, Lege Dei, miserans, & pietate bonus.*

*Quem Deus ipse Virum decoravit culmine sacro, Ecclesiæque suæ Pontificem statuit,*

*Ipse autem factis propriis scit (11) non meruisse Culmen Apostolicum, sed pietate Dei.*

CA-

MCCLXXXVI. die... mens... à fol... & est in Cartulario Dominorum Cardinalium Ecclesiæ Ravennatis. Bacch. (2) prius Mur,

- (3) caput eorum, qui operas urgent. Bacch.  
 (4) idest. Mur.  
 (5) lunis. Bacch.  
 (6) in senectute conjuncti. Mur.  
 (7) Tricolim. Mur.  
 (8) concepta. Mur.  
 (9) Rub. decuit Bacch.  
 (10) Rub. Hic. Bacch.  
 (11) Rub. se. Bacch.